

HIST. DAN. XIX. 109

M. JOH. JACOBUS STÜBELIUS,
Rector Scholæ Illustris Misenensis,
Ad
ACTUM VALEDICTORIUM,
Die XVI. Septembris, in atrio suarum ædium,
horâ antemeridianâ IX, habendum,
ubi
DN.
JOH. SIEGFRIED
de WOLFFERSDORFF,
vulgò WILSDORFF,
in Exdorff, &c.
Germanico eruditio Carmine
Institutioni publicæ ac privatæ, atq; contubernio suo,
cui haecenus adsvevit, supremum dicet vale,
ACADEMIAM
petitur.
Et
postremi speciminis loco præmittet *Orationem Latinam*.
de
Provinciis Germanicis à Rege ac Regno Sveciæ
VVestphalicâ pace acquisitis;
Cui respondebit
GEORGIUS CAROLUS WEYDIUS,
Misn.
M. J. F. STÜBELII privatus auditor,
Oratione Latinâ
de Provinciis Germanicis à Svecis iterum iterumq; amissis
& partim recuperatis,
Literarum studiis & nobis faventes
convenienti humanitate invitac
HAC DISSERTATIONE
de
MARGARETA perqvam celebri trium Regnum
Septentrionalium Reginâ.

MISENAE, Typis SPAHNIANIS, MDCCXX.

Hist. Dan.

280,4

Hist. Dan. 29 M
25.

IPSE fecit & faciet!



Væ de Margaretâ Daniæ Sveciæ ac Norvegiæ Reginâ notabilia lectori subjicimus, è Cranzi Daniâ Sveciaqve, Arnoldi Vits. Danico, Chytræi Saxonico Chronico, Pontani Historiâ Danicâ, Loccenii Rebus Svecicis, libello etiam qvodam e-vulgato, in quo Reges in Sveciâ rerum potiti exhibentur, nec Hübnero seposito, petita sunt. Filia erat unica Regis Daniæ Waldemari III. & Hedvigis Slesvicensis, qvæ, post filias duas ex ipsâ progenitas, invisa reddita marito, in arce Seburgo captiva tenebatur. Accidit verò A. M CCC LIII. cum Waldemarus venatum exisset, & Seburgi pernoctaret, ut à nutrice qvadam vetulâ, ipsi fæmina, cum ipso cubitura, offerretur, cum qvâ Rex eâ jucundè transactâ nocte, diluculante cœlo, eam rursus à se dimisit. Fuit autem hæc ipsa Conjuræ ejus, grida inde facta, qvæ deinde Margaretam nostram, toto orbe celebratissimam, peperit. Ab Hoffmanno celebris Daniæ Heroina, à scriptoribus vulgo Semiramis Danica seu Arctoa vocatur. Pater ejus sæpiissimè dixisse fertur, naturam, per errorem qvendam animum corpori muliebri masculum infixisse, seu destinasse marem, produxisse fæminam. Loccenius imperiosain, supra sexum cordatam, solerter & intentam rebus fuisse dicit. Ao. M CCC LXIII. Juveni Regi Norvegiæ Haqvino connubio juncta undecim annorum fæmella, tamen A. M CCCLXV. decimo tertio ætatis anno Principem Olaum VI. in lucem edidit, qvi avum in Daniâ secutus est, & post illius mortem Norvegiæ cum Daniâ copulavit, tutrice matre, circa A.C. M CCC LXXVII. Ajunt extremitis vicinum Patrem Haqvini Magnum II. dixisse, se libenter DEO cœlum relieturum suum, modò æternum sibi in alterutrâ suarum arcium, Goreâ sive Vortingburgo habitare liceret. Haqvino maturè ipsi erepto, contilio certo decrevit Margaretæ illicè, se alteri minimè nupturam. Facile autem suspicata, multos in longinqua tempora cogitationes suas protensuros, & cupiditate flagratus noscendi, qvis ei successurus esset, è sorore suâ Ingeburgâ nepotem ERICUM, Ducem Pomeraniæ, ætatis nondum maturæ, ad se vocavit, Ao. M CCC LXXXVIII. eum declaratum, qvi unâ cum ipsâ Daniæ ac Norvegiæ habendas moderaretur. Nam Regna hæc, qvæ tutorio nomine rexerat, vigesimo secundo ætatis anno gnato ejus Olao extincto, illius arbitrio permissa erant.

Sed fata ei præterea Regnum etiam Sveciæ destinaverant. Hujus sceptrum tenebat Albertus, Dux Megapolensis, Margaretæ è sorore filius, regno Daniæ ac Norvegiæ simul inhians. Is non tantum se Regem eorum nuncupavit, sed cœpit etiam tres coronas in insignibus ostentare suis, ita significaturus, velle se tribus septentrionalibus Regnis præfici. Illa verò in titulo suo se Sveciæ qvoqve Reginam salutari voluit, cum primi ordinis eqvestris eam acceptarent, qvorum bona, quasi perduellium, Albertus publico addixit. Qvo facto, dissidio semel orto, inimiciæ indies extiterunt aciores. Utrinque eam postulata sunt, qvæ alteram offenderent partem, nec de finibus solis disceptatum est. Albertus iratior, qvestus illam fastigio imminere suo, inter sermones injurias effudit, inter dignitate fulgentes regiâ non admodum receptas. Dixit Reginam esse Margaretam sine femoralibus, Sacerdotum ancillam, cum Abbe Sorensi familiariùs consvescentem, qvam viduam decerer, seqve mitram regiam capiti non impositurum esse suo, donec Sveciam, cum

cum Daniâ cōjunxisset. Interim callida illa & qvieta clam cum non paucis in Sveciâ, non faventibus Alberto, literas commutavit, haud adducenda tamen citius, ut in Svecorum gratiam duas coronas discrimini exponeret, qvam jurâjurando confirmarent Sveci, eam, si vietrix foret, Reginam Sveciæ pariter futuram. Nihilosecius animo usa & viribus, milites comparavit, & duces de legit judicio virili. Ab Alberto qvidem res in jocum risumque versa est, mittente illi cotem, in qvâ suas acus & cultellos acueret potius, qvam arriperet arma. Irrisa verò irrisorem debellavit. Cum apud Westro-Gothos XII. Septembris die res ad prælium recidisset decretorium, illa non tantum discessit superior: sed etiam Albertum, ejusque filium Ericum captivos duxit. Ao. M CCCLXXXIX. Albertus Rex munimentum erexerat opportuno loco, unde Danos posset, in sua transiuros, arcere; at Regina in suo solo excitaverat aliud, unde commeatus intercipi possent, ibique postea hostem suum in trans-eundâ palude cepit, Lintholmiam hinc abductum, ut auctiore custodiâ clauderetur. Hæc septem integros duravit annos, divino judicio perspicuè cernendo, cum per totidem annos Albertus, antecessorem suum Regem Magnum innocentem, captivum tenuisset. Intercedentibus tamen maritimis aliisque celebrioribus civitatibus Ao. M CCC XCV. liberatus à vinculis fuit, hac durâ conditione, ut intra triennium, vel Hâniâ Margaretæ cessâ, coronæ Svecicæ mitteret nuntium, vel sexaginta millia librarum argenti, qvas Marcus vocant, Reginæ appenderet. Fidem verò interpoluere suam opulenta illa emporia, Hamburgum, Gedanum, Thorunum, Elbinga, Stralsunda, Gryphiswalda, Stetinum, Campena, Revalia, intèrà Hafniam pignoris loco servantes. Tandem Albertus maluit se filiumque abdicare potestate regiâ, cum jam maiorem regni partem occupâisset illa, qvam tantum aeris erogare, alienatis præsertim ab ipso Svecorum, quorum plurimi jam defecerant, voluntatibus. Ventum igitur est in vota Margaretæ, Sveciam cum Daniâ copulantis jam, & tres coronas suis inferentis insignibus. Et in Alberti locum adscita fuit, postquam diversis certatum erat studiis. Leges ei præscriptæ hæ, ut dignitates, munimenta, tribunalia non aliisque Sveonibus committebant, ne nova onera civibus, nisi volente Senatu populoque imponeret, utque Remp. cum Regni Senatus Consiliis administraret. Ista & reliqua Regni jura non promptius religione sacramenti, manu & sigillo, ut firmaret, exactum ab illâ, qvam ipsa firmavit. Animum profecto ejus versutum non temerè suspectum habebant Sveci, quibus invisam postea se reddidit imperio duriore, nec ipsorum desideriis respondente. Ipsa nihil verita, Ericum suum ipsi commendavit, ut fulcimentis è familiâ suâ Borealia tria Regna muni-ret, specie utilitatis publicæ ambitum velando. Totam, quæ adorna-ta fuit, scenam Loccenius aperuit, & quæ ultro citroque à Reginâ & Svecicis Proceribus jaçata fuerunt, explicavit. His profecto dominatio-nis arcum subodorantibus & solicitudinem Reginæ deprecantibus aliquantò vehementius illa id exprobravit, quod ipsi forte recusarent. Ericum, quia sanguinis propinquitate se attingeret. Itaque noluerunt videri præfracte ipsam offenduri, & in deliberationem rem vocârunt. Assensumque est postremò monentibus, tantas vires & trium regnum sub uno capite conjunctionem, magnum ad securitatem & potentiam fore momentum, & sub certis rationibus rata habita, quæ illa desidera-verat, Danorum commodis intentior, in quos, ut suam gentem, affe-ctu prolixiore fuit. Sic tria septentrionalia Regna æterno vinculo, ut fere-

ferebatur, connexa erant, præcipue cum Ericus Calmariæ solenni ritu
A. M CCC XCVIII. coronatus esset, Margaretæ, dum hic adolescens ad-
huc erat, Regnorum administrationem retinente. Sed non stetit illa-
Calmariensi pacto, licet Sveci libertatem suam ac auctoritatem, patri-
osqve mores & leges munimento inexpugnabili circumseptas crede-
rent. Ut ad summam & absolutam potestatem sibi sterneret viam, pro-
pugnacula nobilium variis ad se traxit artibus. Juxta tamen, qvæ erat
astutia incredibili, Episcoporum possessiones tantum aberat, ut viola-
ret, ut magnis eos qvoqve cumularet beneficiis, qvò semper dicto au-
dientes haberet. Qvæ quantopere Sveciam affixerint turbaverintqve,
prolixius edifferit Abbas de Verfot, in libro, qvi dicitur, Histoire des
Revolutions de Svede. Qvicqvid ejus sit, imperitavit tribus Regnis
per longum temporis spatium tantâ prudentiâ & felicitate, ut nunquam
res meliore fuerint loco. Gravissimum hoc fuit, qvod, uti Loccenius
ait, pro conjugio qvolibet, præter Denarium Regium, nummi penden-
di fuere. Qvin qvod aliquando de caudis pecorum certum flagitaverat
tributum. Subiectos enim sibi exhaustire, suum putavit, ut magis ob-
noxios haberet, & opes in Daniam colligeret. Qvo fine etiam Henrici
Præfulis legatum, piis assignatum usibus, involâsse dicitur.

Apud Danos memoria ejus prospera mansit, si exceperis fami-
lias aliquot, qvas forte severiore coercuerat modo. Dicere conservat-
se in Daniâ poma decussuram, rivos exsiccaturam, pocula confractu-
ram. Qvò nobiles destinabat domos Abilgaardensem, Limbecken-
sium & Beggerensium, qvæ à tribus illis voculis nomina sortita erant,
& insolentius gesserant se. A Svecicis Scriptoribus valde laudata non-
fuit, nonnulla in eâ culpantibus. Vitio ipsi versum nimiope fuit,
qvod ad Ericum dixerat, Sveciam ei alimenta, Norvegiæ vestes, & Da-
niæ ad defensionem arma præbituram. Unde sagaces haud diffi-
cultur divinabant, suggeri hoc ipsi, ut Sveciæ ac Norvegiæ fructibus,
sudoribus ac servitute, si posset, Daniæ Regnum extolleret, ac eo se-
tueretur. Qvò pertinuit id, qvod, Indigenis præteritis, arces, provin-
cias, aliaqve publicè administranda suis Danis tradidit. Excipitur unus
Abrahamus Brorus, natione Sucus, Hollandiæ & Verendiæ Præfe-
ctus, cum quo nimiam ipsi consuetudinem fuisse Loccenius perhibet.
Neqve hoc ab illis probatum, qvod cum castellorum ac arcium cau-
sa, provocarent ad fidem jurejurando datam, responsi hoc tulere
à Regina cavillante, suas modò literas & signa iis impressa custodirent
Sveci, sibi curæ futuram custodiam arcium & propugnaculorum. Ut
adeò non satis fuerit, circumvenire illos, nisi & luderet. Qvalem mo-
netam in probrum & contumeliam gentis Svecicæ cusam existimârint,
malo in Hübneri Qvæstionibus, qvam hic legi. Veniant nunc Bodinus,
Lucas à Pennâ, Arnisæus, Lipsius, Eberhardus de Weihe, Kecker-
mannus, Schoenborerus, Wendelinus, Berneggerus, Gœdemannus,
& nolint fæminam regnare. Regnavit nostra usqve ad An. M CCCC XII.
in qvo, cum è Slevicensi Ducatu in Seelandiam navigatura esset, in eo
itinere animam exhalavit, opinione disseminatâ de aëre vi-
tiato è mari, qvi mortem ipsi acce-
lerâsset.

F I N I S.